

PALATINO SELECTUS.

57

tantum abest, ut Rege. Adhuc generosos Regiae Majestatis Spiritus intra Palatii septa, intra satellitum agmina concludunt, qui modo molliorem in ea cultum damnaverant? Adhuc sui immemores, supercilio suo subjectos arbitrantur, quos Divina Providentia in supremum terranae potestatis culmen evexit? Adhuc omnem Principum curam DEO, omnem in DEUM fiduciam Principibus abjudicant? Non norunt Alexandrum, qui factis ejus insultant; Quid dignius erat Rege, qui Orbem Terrarum animo conceperat, quam suo Exemplò, militibus ostendere, quibus artibus hostilis pervicacia esset frangenda? Noli Alexandrum culpate, sed militum perfringe ignaviam, quod non eodem ardore, quò Rex, in moenia evaserint, quod non eadem audacià in hostiles se immiserint exercitus.

Legerat Alexander HOMERI Scripta; Graecorum Principes contemplatus erat, non resides domi, sed in periculis primos. Hos quidni imitaretur? Imitatus est, & in aeternam eò factò surrexit Gloriam, ostenditque: Gloriam hodiernos etiam mansuram Principes, si non Praefectis suis praetiorum momenta concedant, sed ipsi praesentes dirigant, si non Ducum tantum, sed & militum exequantur officia; Neque enim sibi Fortitudo periculum creat, sed securitatem circumponit, exercitus robur adauget, Inimicos terret, fidem subditorum confirmat, tandemque

*Candida sublimi vehitur super aethera curru.*

III.

LYSIMACHUS.



AD ostentandam Virtutum Gloriam Plurimi non propriis, sed alienis autuntur Insignibus; His autem quid aliud innuunt, quam eorum ornamentum sibi decorum arbitrantur, longè se fuisse meliores?

Non inficienda hæc imbecillitatis confessio est; Inter homines tamen non toleranda tantum, sed insuper fovenda. Ubi Virtus, si Virtutum fomitem tollas? Ubi Virtutum fomes, si Gloriam? Ubi Gloria, si humanarum

H

narum

